DE

# NECESSITATE MORBORUM ALIQUORUM AD VALETUDINEM RELATIVAM SERVANDAM

DISSERTATIO

*INAUGURALIS MEDICA*

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. APRIL. A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES EDUARDUS COHEN

LONDINENSIS

OPPONENTIBUS

EM. SOMMER INSTITUTI MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI PRAEFECTO.

CHR. SEITZ ET GUIL. KIEHL, MEDICINAE CANDIDATIS.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

FAUTORIBUS MAXIME COLENDIS

ATQUE

AMICIS SUAVISSIMIS.

## Prooemium.

Si hoc in libello notiones pathologicas de necessitate morborum aliquorum ad valetudinem relativam quae dicitur servandam explicare ausus sum minime nova protulisse mihi visus sum, sed solummodo sententias proprias clare intelligere volui et decernere, quando morbus necessarius habendus sit, quoad valetudo relativa maneat. Quae a Brandisio, Reilio, Hufelandio et permultis aliis auctoribus hac de re dicta sunt, non nescio eorumque scripta consulere non omisi; exempla quoque commemorata, ut sententiae prolatae probentur, collegi. Utrum ad finem propius accesserim nec ne? arbitrio tuo, lector benevole, cuius tamen indulgentiam iterum atque iterum imploro, relinquo; Consideres autem me tironem esse in medicina, tibique in animum revoces, omne initium esse difficile. Vale.

Organismus per se ex toto absolutus est, actione formante constans, cuius minima pars vitae totius respondet. Propagatur ut species et ut individuum, quorum character ei inest, quo individuum et species servantur. Bestiae et plantae in contrario positae non sunt, nám quamquam gradus formationis modus tamen non differt. In plantis sensitivis motum, neque minus sentiendi facultatem nonnullam observamus, quare bestiis appropinquant; omnium bestiarum contra embryonum vita vegetabilis, ad formam meram spectans apparet, unde et Harveii 1) verba, cum de ovorum incubatione tradit: „Planta in animal transit.“ Organum quodque cum altero ad totum organismum servandum agit, alterum alterius vitam servat. 2)

Quisque organismus duabus constituitur partibus, parte subiectiva (sit venia verbo!) animali, et

1) Harvey de generatione §. 99.

2) Kant Kritik der teleologischen Urtheilskraft. Bd. 2. pag. 92.

obiectiva vegetabili, quarum altera illis, altera his magis tribuenda, unde quoque ingenium humanum discrimen inter animalia et plantas duxit. Animalibus prae ceteris pars animalis, unde nomen, et inter ea homini imprimis inest, et nervorum functione continetur; vegetabilis, ex vi formandi et producendi composita, etiam animalibus, attamen plantis prae iis est tribuenda; summa vero vi animali et vegetabili fit organismus humanus.

§. 1.

Homini vita est summa, quia summo quem cognovimus inest organismo, et variis sustentatur viribus efficacibus, quae vicissim ad genus et individuum servandum agunt. Animo aut parte animali nobiliori haec summa vita eminet atque intellectu et agendi modo rationali cognoscitur. Posita est in organismo atque rerum circumdantium universitate et solum utriusque vi communiter agente existere potest.

§. 2.

Quisque organismus incitabilitate praeditus est, quoniam heec sola ab externis rebus affici atque in eas reagere potest, attamen necesse erit agendi modum proferre, atque notare, macrocosmum, ut hoc utar nomine, modo mechanico, chemico, dynamico incitare microcosmum, hunc vero qualitative et quantitative pro incitamenti ratione diverso modo reagere. Qualitative, quia incitamenta mechanica, chemica, dynamica varie mixta sint neque unquam uno solum mo-

do agant. Quantitative pro rerum numero atque efficacia. Haec incitamenta organismi sunt stimuli.

§. 3.

Secundum physiologiae leges corporis reactio non semper eadem est, vi vitali quamquam, et stimulis quoque neque quantitative, neque qualitative mutatis, corpus enim his assuescit, torpor partialis per consuetudinem 1) oritur. Incitamentum nempe, longum per tempus eodem semper modo organismum afficiens, incitabilitatem, eaque de causa reactionem imminuit. Corpus hunc stimulum, prius heterogeneum, sensim pro assueto accipit, v. c. herbam Nicotianam. Omnia narcotica idem efficiunt quod Opiophagi qui dicuntur probant.

Stimulis autem detractis, incitabilitas tantopere augetur, ut minimum incitamentum eandem producat reactionem, quam antea summum. Hoc et argumentis probare possumus. Hominibus in carcere, aëre, calore, luce, cibo diu privatis, subita liberatio detrimento esset, mors inde afferri posset, sensim sensimque stimulorum copiam augere conandum est, (ut in congelatis fieri solet.)

§. 4.

Sanitas ea est conditio, qua organa omnia in functionibus rite peragendis harmonice inter sese conspirant. Quae autem functiones tam parum si turbantur, ut vis organismi vitalis vix vixetur, vale-

---

1) Burdach Physiologie. p. 152.

tudinem hunc quoque nominamus statum, sed relativam, ne cum normali confundatur.

Sanitas absoluta modo est imaginaria quia organismus integer non adest, nihilo secius normalem ponimus sanitatem, verbi vim si latius extendimus. Sanitas igitur quae dicitur relativa status est corporis, in quo functiones quidem sunt turbatae, attamen praecipue in parte sola unde oriuntur, neque aliae organismi partes correptae sunt.

§. 5.

Morbus ea contra corporis est conditio, qua vis vitalis, forma, mixtio chemica ita aberrant, ut plurimorum aut omnium organorum functio laesa appareat, quod quidem fit, stimulis sive modo sive quantitate iusto maioribus minoribusve, aut corporis incitabilitate diminuta aut aucta, unde reactio aut debilitatur aut increscit et incitatio ad summum augetur, aut paralytice ad minimum redigitur, Morbus hac disharmonia fit atque interdum perdurat, quia corpus stimulorum impetu debilius est. Permanente autem eorum actione corpus hebetatur, insuetos pro consuetis accipit, et morbus ei inhaeret quasi ad naturam suam pertinens, malum fit necessarium et valetudine hac relativa corpus viget. Haec autem valetudo relativa ea sola conditione est nominanda, ut organismus et eius incitamenta pari modo permaneant et morbus fit, si pars aliqua aut constitutione corporis aut aetate aut consuetudine aut aliis praevalet.

§. 6.

Reactio ad stimulum nunquam ad unam solam

pertinet partem, quia prima actio iam totius constitutionis mutatae effectus est, et unum solum organum reactionem producere nequit; quod probat, morbum absolute localem non existere. Quae Brownius et Weickardus dixerunt, morbos locales esse posse, argumento non sunt, ille enim negavit morbis localibus fontem inesse morbosum et vim vitalem, hic vero duplicem adesse incitabilitatem contendit, localem et universalem. Mutatio singulorum organorum, quae non omnes ita afficit corporis partes, ut functionum laesio plane appareat, hodierno tempore morbus nominatur localis. Quamquam systematum organismi totius laesio adest, solius tamen cuiusdam, aut partis eiusdem malum perspicuum est, ideoque solas mutationes, quae post omnium symptomatum laesionem remanent aut nexu causali iis non amplius iunctae sunt, a quibus originem ducunt, morbum localem vocare fas est. Pedum ulcera post puerperium exorta, aut fracturae pedum, malum hystericum interdum fugant, donec ipsa sublata sunt. Secretio hepatis, ulceribus pedum subito sanatis, saepius augetur, Lupia, quae semper morbus localis nominatur, neque dolet, neque incommodo est, neque aegroti impedit negotia, saepissime, quando manu curatur, et vulnus inde ortum sanescit convulsiones inducit, mortem affert, unde patet, hoc vitium quamquam locale, omnibus tamen corporis systematibus intime iunctum fuisse. Hornius 1) huius rei exemplum proposuit. Vesica fellea frequenter

1) Horn's Archiv. Iahrgang 16. Mai.

calculos continet, quod cadaverum sectio ostendit quamvis id defunctus dum vita persisteret, nunquam questus sit; morbosa hic sane aderat bilis mixtio, sed adeo levis, ut aegrotus malum non senserit. Lorry 1) de favo dicit, si matres medicaminibus utantur quae exanthema fugant, infantes morti tradere. Hufelandius 2) post otorrhoeam aut favum medicaminibus externis incaute suppressum, hydrocephalum oriri et postquam redierant abire saepe vidit.

§. 7.

Cuique morbo medicaminibus solum externis sublato qui temporis progressu naturae organismi inhaeret semper talis est exitus. Inter hos referamus morbos vulgo locales dictos, secretiones morbosas, pseudorganisationes, tumores et alia quae omnia corpori adhaerent ad eius naturam pertinent et si evanescunt aliam actionem morbosam id producere cogunt, vi antagonismi. Hic est nexus organorum internus, qui morbis modo cognoscitur, cum primarium commodum cessat. Talis nexus inter parotides, testes aliaque adest organa atque actionis vicariae est causa. Ani fistulam nunquam manu cures, si dispositio phthisica vel tussicula adest, quia phthisin veram excitaturus es. Febre intermittente sublata, corticem peruvianum dare pergas ut totus febris fomes exstinguatur. Hic fomes adest,

1) Lorry v. d. Krankheiten der Haut. 1 Th.

2) Hufeland v. d. Scrophelkrankheit p. 103.

quia organismus febrem restituere cogitur. Chiarugi 1) maniam hortulanum corripuisse narrat post rheumatismum acutum qui sine excretionibus criticis abierit. Ipse gonarthrocacen saepius rheumatismo sanato vidi ortam; et paedarthrocacen aegrotum abripuisse simili ex causa ortum semel observavi.

§. 8.

In nonnullis organismi partibus, vis vitalis si augetur in aliis quoque increscit, similiter movetur, ideoque summam stimuli vim in remotis intelligimus partibus. Consensu 2) hoc fit, quem Büchnerus ita definit: „Consensus est physicus partium corpo„ris humani sentientium nexus, quo una eorum gra„viter affecta et mutata, alia cum ipsa per vasa „nervosque connexis, simul insignem affert muta„tionem." 3) Systemate quadam turbato, totum affici organismum facile intelliges, quia systemata et organa omnia nexu intimo inter se cohaerent. Saepe hunc in morbis modo animadvertimus, saepe vero in sanis quoque eum demonstrare possumus; Secretio urinae, diaphoresi hieme suppressa, augetur. Pili, testibus ineunte pubertate grandescentibus, crescunt.

Uteri munus post puerperium si desinit lac secerni incipit.

---

1) Chiarugi über Wahnsinn. 3 B. 18 F.

2) Gaubius institution. patholog. 177. 178.

3) Büchner dissert. de mutuo uteri ventriculo consensione. Halae 1753.

## §. 9.

Nunc de actione vicaria exponam, quae partim ad consensum partim ad antagonismum pertinet. Actionibus primariis organorum nonnullorum aut totius systematis cuiusdam vel minutis vel cessantibus, vel parum agentibus, v. c. in metastasibus lacteis si lac secerni pergit, in aliis organis, partium consensu aut antagonismo, actiones (vicariae) loco priorum oriuntur. Reilius hepate bilis copiam non sufficientem secernente polycholiam credit oriri. Aliae igitur partes secretionem suscipiunt v. c. tela cellulosa, renes, linguae glandulae salivales. Saepe quoque tumores oriuntur glandulosi, suppurationes, apoplexia, melancholia, paralysis, amaurosis, surditas etc., hac bilis secretione imminuta. Hebreardus 1) (Bulletin de la faculté des médicins de Paris) apoplexiam cessasse narrat, tumore pugni magnitudine sanguinem continente in antibrachio exorto; diebus vero octo praeterlapsis, vitio cerebri organico aegrotus mortuus est.

Actio vicaria tam similis est primariae quam organum productumque novum pristino. Gonorrhoeam v. c. suppressam similis oculorum secretio sequitur. Organa vero omnino si differunt, actio quoque vicaria longe alia est. Mania secretionem lactis suppressam aut stranguriam sanatam saepe sequitur 2).

---

1) Salzburger med. Zeitung. 2. Bd. 1817. No. 36.

2) Chiarugi. l. c. 3 B.

Cessante herpete, paralyses, contracturae, epilepsia, mania oriuntur. Actionum morbosarum suppressio vicariam actionem inducere non posset, nisi corpori necessariae factae essent, ad naturam eius et valetudinem pertinerent; aegrotus igitur relative valet neque prius aegrotat quam actio vicaria incepit. Actio illa vicaria ad consensum haec ad antagonismum est referenda.

Natura exemplis actionis huius abundat, attamen nonnulla solum enarrabo. Joannes Howship 1) suppressa podagra nephritidem exortam et illa restituta sanatam esse narrat; simlemque causam, ubi restitui non potuit et aeger mortuus est. Brandisius 2) opilionem in nosocomio Göttingensi motu valde incensum et imbre madefactum, postquam noctem vestibus madentibus transegerit, diaphoresi suppressa statim in diabetem incidisse, contabuisse et cutim pergameneam, siccam, non amplius exhalantem retinuisse, refert. Puellula dente carioso laborabat subito dolores cessarunt, colon lateris sinistri dolens contrahebatur et ileus cum vomitu et obstructione inde oriebatur, dens vero, postquam evulsus erat, coli malum fugatum est. Brandisius l. c. de herpete in scapula tradit, qui medicaminibus saturninis repulsus paralysin induxerat musculorum oculi lateris eiusdem, sic ut oculus immobilis ad angulum internum verteretur, diplopia orta et aeger

---

1) Horn's Archiv. Jahrg. 17. März. April.

2) Brandis über Metastasen. §§. 13. 14. 17.

strabo factus sit. Sömmeringius 3) tumorem sibi ipsi in genu diaphoresi suppressa ortum, altero die autem resorptum esse narrat. In nosocomio militari ipse aegrum vidi, inde ab annis multis diarrhoea chronica, remedio, quo febrem intermittentem pepulerat, orta, laborantem; typhus nervosus a miasmate excitatus eam quidem compescuit, sed postquam ipse parotidis suppuratione critica fugatus erat, hac finita rediit.

§. 10.

De metastasibus. Veteres metastasin nominabant, si morbus aliquis ab organo aut systemate ad aliud organum aut systema transferretur et materiam (peccantem) morbosam adesse putabant, quae cruda et morbum alium, primario nondum finito, aut cocta esset et alium induceret morbum primarius morbus si iam cessasset. Nostris temporibus hoc non plane negatum sed materiae huius morbosae idea aliquantum restricta est. Haec materies (quae interdum fortasse non adest aut tantae est subtilitatis ut percipi non possit) et veterum opinione tempore criseos ad aliam tranfertur partem, organo morboso sive morbo quodam arte discusso, corpus hanc materiem ad alium locum congerit et novum organum morbosum aut morbum efficit „Hoffmannus 1) om„nis, inquit materies retenta, ut sanguis qui fluxu

---

3) Sömmering de morbis vasor. resorbent. p. 178.

2) Journal der Erpfindungen, Theorien und Widersprüche.

„haemorrhoidum aut menstruorum egerendus est, „halitus cutis suppressus, urina non suffficienter ex- „creta putrescunt, sanguinem corrumpunt et sic fe- „bres procreant." In omni igitur febre materies aliqua adesset, quae tempore criseos ut peccans excerneretur; quod vero experientia probatum non est et Reilius 2) optime refutavit. Metastasin quoque crisin nominarunt imperfectam, quia in crisi materiem quandam alienam amovendam esse putarunt, crisis autem iis turbulenta modo solutio erat morborum. Huius solutionis phaenomena sunt perturbationes criticae sic dictae. Quis defendere potest, metastaseos phaenomena materiam esse morbosam v. c. hydropes, tumores exorti. Quis credit, tumori cystico materiam inesse tam acrem ut eo remoto mors afferatur. Potestne hoc phaenomenon a morbo ipso induci? Tantis in tenebris versamur quas ne futurum quidem tempus illustrabit.

Ii similes sunt **metaptosis** et **diadoche**. In metaptosi forma morbi mutatur, quamquam morbus ipse remanet, ita ad luem veneream scabiei syphiliticae forma se praebentem, tophi, ulcera cariosa, dolores ossium accedunt, unde patet, systema quoque ossium esse affectum. Forma autem morbi in diadoche constat et gradus modo mutatur, hypochondria in melancholiam, haec in maniam abit, indeque fatuitas oritur.

---

1) Reil Fieberlehre. I. B. c. 8.

Metastasis saepe fit in morbis sic dictis localibus et valetudinem relativam rescindit, quae actione vicaria non raro servatur.

Ita notiones quasdam pathologicas explicui et exemplis illustravi, nunc ad leges actionis vicariae exponendas transibo, et demonstrabo, quibus sub conditionibus morbi necessarii esse possent ut valetudo relativa maneat.

§. 11.

Fit actio vicaria.

I. Actionibus organismi normalibus turbatis; quibus sunt annumerandae.

1) Omnes secretiones et excretiones perpetuae ut sudoris, urinae, bilis et aliorum.

2) Omnes actiones periodice occurrentes normales ut lactis secretio, mentrua.

3) Status corporis quem dicunt evolutionem.

4) Vehementes corporis perturbationes ut animi motus.

1) Secretiones excretionesque perpetuae, functiones sunt organismo normales sine quibus existere non potest, igitur si imminutae sunt aut suppressae alias inducere eum oportet. Suppressio minoris aut maioris est periculi pro secretionis gravitate et mali inde exorti maiori aut minori momento. Facillime cutis supprimitur exhalatio, facile vero restituitur, raro plane tollitur unde autem, tanti quia eius secretio est momenti, hydrops et renum (diabetes) aliorumque organorum oriuntur morbi periculosissimi. Renes enim organum sunt cutis vicarium, unde diaphoresi aestate aucta diure-

sis imminuitur, hieme vero suppressa, augetur. Tubus quoque intestinalis diaphoresis vices sustinet et actione cutis, aestate aucta, desidet, alienata morbum concipit. Ex diaphoresi pavore sive terrore suppressa diarrhoea exoritur. Etiam tela cellulosa cutis actionem suscipit. Metzlerus 1) puellam narrat, oedemati faciei implicatam fuisse, ut primum pedes in aqua frigida collocasset. Nervi quoque hac suppressione saepe morbis corripiuntur. In miliaribus chronicis cutis secretio interdum urinam olet, ut primum vero urina copiosior excernitur et exanthema evanescit, aeger hoc ab odore liberatur. Praeter transpirationem hoc in aliis quoque videmus secretionibus. Organa varia urinam secernunt ut ventriculus, cutis, umbilicus, mammae, secretione renum impedita, ut Dawson et alii Philadelphiae medici probant.

§. 12.

2) Ad actiones transeamus periodicas normales, menstrua, lochia et lactis secretionem. Morbi harum et suppressione orti mox perstant donec primaria functio ad normam redit et evanescunt, mox autem nihilo secius manent; tum vero vicarii non amplius sunt; saepe quoque actio primaria suppressa, si periodica erat, ipsi periodici sunt, et tempore fluidoque secreto illi similes. Hoc quoque in omnes convenit secretiones et corporis conditiones postea exponendas. Saepe regio lumborum me-

---

1) Metzler v. d. Wassersucht. 1787. S. 20.

tastasi lactea corripitur, unde paralyses, contracturae oriuntur, quae multis annis post abscessu lacteo sanantur. Brandisius metastasin lacteam actione sympathica telae cellulosae et vasorum sanguinem illuc ducentium oriri, et hanc partem eo organum novum, fluidum lacti simile secernens, fieri putat. Metastases lacteae organismo necessariae sunt quamquam secretum lac non est. Nervorum morbi varii, ut apoplexia, melancholia 1), mania furibunda, hysterismus, has metastases sequuntur, nova autem graviditate tolluntur. Saepe fluxus coeliacus post lactis secretionem retropulsam observatur. 2) Morbi cutis, ulcera, tumores, exanthemata, articulorum mala saepe mensium suppressionem sequuntur. Haemoptysis quoque inde enascitur et epistaxis et haematemesis quoque eadem periodo occurrunt. De amaurosi quoque, hebdomade quaterna redeunte menstruis deficientibus plures auctores 3) mentionem faciunt.

Actionum quoque normalium restitutio saepe frugi non est, et actio vicaria perseverat, quod Chiarugi 4) probat. Puerpera quaedam in maniam inci-

---

1) Chiarugi l. c. B. 3. Fll. 4. 93.

2) Vogel et Sothen dissert. fluxus coeliaci genuina notio atque ratio exposita.

3) Richter Chirurgie B 3. p. 429.
Heister Wahrnehmungen B. 1. p. 590.
Techlin observationes. L. 1. N. 42.

4) Chiaurgi l. c. B. 3. Fll. 17. seq.

dit, lochiorum suppressione septem mensibus durante, quod post tempus menstruis una cum scabie accessio mania non disparuit. Scabiem sanatam diarrhoea secuta est colliquativa, et viribus eo effusis, aegra fatua facta est, quibus firmatis mania rediit. Chloroticae fluxu catameniali raro convalescunt. 1)

§ 13.

3) Corporis conditiones quas dicunt evolutionis facile laedunt sanitatem, si naturae ordine non peraguntur. Talis est dentitio, quae si impeditur aut insignem affert molestiam, morbos nervosos excitat lethales, diarrhoeam perniciosam, hydrocephalum internum, scrofulas aliaque. At diarrhoae dentitione exorta saepe etiam salutaris est; pancreas tunc glandularum oris vices subit et tali non apparente iidem oriuntur morbi. Pubertas quoque morbis nervorum copiam dat. Ipse adolescentem vidi libidine permagna incensum, quam vero honestate motus suppressit, in epilepsiam incidentem cum stadio maniaco, quae omnia sprevit medicamina adhibita, neque prius cessavit, quam suadentibus medicis libidini satisfecerat. Quem fugit lascivia suppressa, quale afferat feminis damnum. Graviditas quoque, partus et menstruorum cessatio hic sunt notanda. Exanthemata herpetica aliique morbi permulti a cessatione menstruorum originem ducunt, sed ordine si inchoant, morbos quoque fugare, imminuere aut pro temporis

1) Richter Therapie B. 1. p. 757.

spatio aliquo exstinguere possunt. Scrofulae saepe pubertate evanescunt, non raro vero cessatione menstruorum normali redeunt. 1) Saepe quoque eadem periodo cardialgia et hysterismi incommodorum caterva apparet. Feminae cuiusdam melancholia terrore orta abortu pulsa est.

§ 14.

4) Perturbationes corporis permagnae ut animi motus morbos partim procreant, partim sanant. Sed defendendum mihi est cur hoc loco animi posuerim motiones. Sane corpus quoque aggrediuntur, at normales non sunt, sed affectionibus annumerandae morbosis; cum autem ab infantia usque ad senectutem hominem comitantur, eas huc referre nullus dubitavi. Alii morbi ab iis originem ducunt, alii fugantur v. c. metu, terrore, anxietate, iracundia, amore, gaudio, spe et sexcentis aliis, quae omnia corpus vehementer percutiunt, quod cordis ruptura ira enata lethali et cordis aneurysmatibus terrore, iracundia, tristitia, angore, cura affectis probatur. 2) Cum autem morbos etiam tollant, organismo maximi sunt momenti. Mania et epilepsia, anxietate, terrore, periculo, febres nervosae, morte iam imminente, gaudio subito ron raro pelluntur. Reilius 3) feminam terrore in epilepsiam incidisse et quatuor per an-

1) Hufeland. l. c.

2) Corvisard sur ses maladies du coeur. Introd.

3) Reil über Crisen der Nervenkrankheiten.

nos quotidie paroxysmo affectam, eam febre intermittente quae supervenerit pulsam, hac vero fugata, spasmum sex dierum in manus flexoribus accessisse, et eo sublato epilepsiam rediisse, narrat. Puella terrore liberata est a febre tertiana, cuius loco statim epilepsia tertiana corripiebatur. Catalepsia et epilepsia multa eius rei offerunt argumenta.

§ 15.

Actio vicaria sequitur etiam.

II. Conditiones organismi anomalas sed diuturnitate aut charactere necessarias, quo referantur:

1) Omnes stimuli insoliti.
2) Actiones periodicae fortuitae.
3) Vires morbosae speciales.
4) Actiones criticae.

1) Stimulis insolitis annumeranda sunt, exanthemata, tumores, suppurationes, fonticuli et morbi nonnulli metastatici Eorum curatio matura et incauta, ususque remediorum adstringentium quantum afferat damnum quotidie experiri possumus. Quem fugit artu valde suppurante amputato, et per primam intentionem sanato hydrothoracem, hydrocephalum, arthrocacen, trismum, tetanum, aliaque supervenire consuesse. Hydrocephalum inde ortum ipse vidi lethalem. Chirurgi igitur periti suppuratione talia sanant vulnera. Hoc quoque inter minora vulnera convenit. Chiarugi 1) melancholiam

1) Chiarugi l. c. 3 B. 5 und 35 Fall.

exortam esse et quinquies rediisse ut primum pustulae a vesicatoriis evocatae sanatae essent, denique vero ab iis plane fugatam esse narrat. Idem melancholiam scabie evanescente sacerdotem corripuisse, hac redeunte autem aufugisse refert; attamen mense praeterlapso cum scabies sanata esset, melancholia rediit et exanthemate insito mansit. Hufelandius 1) actionem memorat vicariam fonticulis ortam quia organismus his carere non potuisset. Infans hydrocephalo sanato, fonticulo in brachio posito per annos inoffensa usus est valitudine, unde parentes eum supervacuum esse putarunt eumque amoverunt, quo hydrocephalus rediit et puerum interemit. Multa quoque alia scriptores enarrant.

§. 16.

2) Actiones quoque periodicae fortuitae morbosae metastaticos inducunt morbos, unde patet, has quoque organismo necessarias esse, ut valetudo relativa servetur. Huc sunt referenda exanthemata periodica, fluxus haemorrhoidalis *), epistaxis periodica, salivatio periodica. Exanthemata periodica suppressa aut non usitate apparentia saepe incommoda afferunt. Femina quadraginta annos

---

1) Hufeland l. c. p. 228.

*) Fluxum haemorrhoidalem semper molimen esse naturae salutare, eiusque suppressionem aliud malum vicarium semper sequi minime credo, eumque hac tantum ex causa hic commemoravi, quia eius suppressi loco saepe morbus vicarius supervenit.

natae, e gente in qua morbi psychici hereditarii erant, erysipelate periodico aegrotabat, quo suppresso mania supervenit, quae ne anasarca quidem exorto abiit. Hufelandius morbos cutis saepe aliquid critici habere et scrofulas *) ab internis retinere partibus memorat. Vidit infantes in moerorem versos, febricitantes, pallentes, et crusta lactea, serpiginosa aggressa convalescentes. Multos per annos eodem tempore tales fiunt crises, donec scrofularum procreatio desinit; maximi ergo, pergit, in curandis scrofulis est momenti morbum ad externas partes vertere, quod valde prodest. Infanti ad scrofulas proclivi auriculae perforabantur, iisque inflammatis exanthema periodicum per annum remedia contemnens totum obduxit corpus, denique vero amotum et infantis veletudo incolumis servata est. Thilenius 1) miliaria chronica in femina quadam thermis Amisianis quotannis evocatem esse narrat, aegramque toto anno valuisse; semper vero languisse, si aquis usa non fuisset, neque exanthema apparuisset.

§ 17.

3) Morbi metastatici viribus quoque morbosis specialibus longo tempore corpori inhaerentibus retropulsis, commoventur. Interdum sponte sua oriuntur ut alii morbi fugantur et sanitas iis servatur.

---

*) Scrofulas, quia periodicas interdum fuisse contenditur, hoc posui loco, quamquam vires esse morbosas minime nego.

1) Hufeland Journal. B. 43. p. 107.

Fluxus coeliacus saepe a morbis ad eum disponentibus inducitur, ut ab arthritide, quam Dreissigius in uno eodempe aegro vidit fluxu coeliaco per vices bis succedentem. Heindorffius 1) melancholiam narrat salivatione sanatam esse, quae plurimis annis omnia remedia contemsisset. Dysenteria exorta adolescens quidam mania atque opthalmia diuturnis sanatus est.

Minime, morbum novum semper organismo salutarem esse, his demonstraturus sum, quod interdum solum evenit; saepe enim morbus novus antecedente ferocior est, et aegrum interficit, quare Hippocrates 2) „Erysipelas, inquit, ab exterioribus verti ad interio„ra non est bonum, ab interioribus vero ad exterio„ra, bonum. — Erysipelas foris quidem exstare „utile, intro autem vergere letale.“ Burserius 3) quoque: „Materia, inquit, erysipelatodes in cere„brum vel in pulmones delata, aliud morbi genus „efficit, eo perniciosius, quo interior nobiliorque „est pars, quae ab ea repente corripitur.“ Mania, melancholia, pluresque morbi oriuntur nervosi plica polonica resecta. 4) Icterum nonnunquam epilepsia et tetanus secutus est; qui morbi, a causis icterum creaturis, commovebantur, icteroque superveniente

---

1) Nasse Zeitschrift für psychische Aezte.

2) Aphorismi sect. vij. 20. sect. vj. 25.

3) Burserius institut. medic. L. III. c. 8. §. 222.

4) Burserius l. c. L. II. c. 2. §. 30.

aufugerunt. Weberus 1) ophthalmiam saevam, in infante duos annos et sex menses nato, angina laryngea, quam dicunt Croup, vidit fugatam, qua vero puer mortuus est. Hippocrates 2) „Convulsiones, „inquit, et tetanos superveniens febris exsolvit. — „Convulsiones sanat exorta febris acuta quae prius „non fuit, quod si prius fuerit, exacerbata. — Re„pentinae convulsionis remedium est febris et alvi „profluvium." Chiarugi, 3) rusticum bis mania furibunda oppressum esse, narrat, post febrem intermittentem tertianam duplicem et post pneumoniam. Reussius 4) complures maniacos variolis vaccinis vidit sanatos.

Nonnulla morborum seminia per aliquod modo tempus agunt et organismus ad normam redit, eorumque suppressio morbum vicarium non inducit. Reilius morbos istos actiones nominat nervorum naturae repugnantes, quae valetudinem servent, organum vero morbosum gignant. Morbum incaute nunquam supprimas, levis maneat ne gravior oriatur. Nervorum morbum aliquem si pepulisti, efficaciam aliorsum vertes.

§. 18.

4) Actionibus criticis morbi quoque gignuntur metastatici. Crisis ea est actio turbulenta, qua

---

2) Horn's Archiv. Iahrgang 16. März.

3) Coaca L. II 373. 376. 377.

4) Chiarugi l. c. III. 3. 16 Fll.

5) Dispensatorium univers. T. 2. p. 232.

morbus solvitur et ad sanitatem corpus reducitur. Eius symptomata sunt perturbationes criticae sic dictae. Quanti sit crisis momenti neque solis in morbis acutis, sed etiam in chronicis, qui ea sanantur, omnes medici satis sciunt. Eius laesio organismo maximum affert damnum aliosque gignit morbos diuturnos. In morbis acutis, subito vita periclitatur, nisi celeri auxilio iuvetur. In morbis exanthematicis exanthema ipsum nonnunquam pro crisi habendum est. Lorryus 1) tale, inquit, naturae molimen salutare non insolitum est. Exanthemata alia sunt levia et sine periculo recedunt, alia pertinacia valdeque molesta; alia febribus acutis gignuntur, alia veniunt sine febre, omnia aegritudinis signa pellunt et purificantes nominantur.

Saepe, quod iam retuli, variolae vaccinae melancholiam fugarunt. Burserius 2) de morbillis irregularibus sed benignis dicturus: „Ac quidem, inquit, „prout morbillorum eruptio quae plenissima et confertissima fuit, perficiebatur, omnia terrifica symptomata paullatim sedata sunt et sub finem quartae „diei ab incepta eruptione morbilli exsiccare coeperunt. etc.“ Gaubius 3) de vasorum dilatatione: „est „tamen, inquit, in his morbis etiam aliquid medicati „quo natura utitur in salutem sui corporis, cum aut

1) Lorry l. c.

2) Burserius l. c. L. II. c. 8. §. 252.

3) Gaubius l. c. §. 208.

„multitudo humorum nimia aut nociva materies e „communi eorum massa separari, expelli debet. Hae- „morrhagiae, criticaeque aliae evacuationes ac me- „tastases, hoc potissimum adminiculo nituntur.

§. 19.

Quae in acutis valent, etiam in chronicis morbis ita se habere, in primis scrofulae nobis probant, quas externe apparentes, morbum ab internis avertere partibus, organismo salutares esse, earumque suppressionem maximum afferre damnum, iam supra (§. 15.) memoravi; Hac quoque ratione morbi tales salutares sunt nominandi, cum fomes morbi extingui non possit, iisque suppressis spasmi, paralyses, hypochondria, aliaque nervorum vitia, phthisis scrofulosa, tuberculosa, hydrocephalus, hydrothorax oriantur. Jure inde vulgo creditur, infantes, crusta lactea, serpiginosa laborantes, prae ceteris valere; et quamvis aegros tamen ab internorum organorum morbo eos cautos esse nemo negabit. Consulto igitur saepe nova mala inducimus quae primariorum quasi crises sunt et retropulsa magnum afferunt damnum. Diaphoresis et salivatio criticae in morbos hydrargyro sanandi methodo, quam dicunt inunctionem (Louvrier, Rust), suppressae apoplexia aegrotum interficiunt, ut ipse vidi. Nervorum quoque morbi inde oriuntur. (Heckerus 1) paralysin vidit

1) Journal der Erfind. Theorien und Widersp. 2 B. 6 St.

salivatione sanatam). Hoc quoque inter parotidum convenit suppurationem criticam, de qua Acrel 1) „milites, inquit, Gallos ante aliquot annos in Bo„hemia ob ingens frigus immodicoque labore inci„disse in febrem putridissimum cui superveniebant „abscessus pone aures, sub axillis, aliisque in parti„bus cum manifesta symptomatum omnium imminu„tione. Hos ab initio medici ad plenam maturatio„nem perductos ut criticos aperiebant. At postea „in debilitatem prolabebantur aegroti et paullatim „symptomatibus recrudescentibus plerique morieban„tur intra octiduum. Ex his nonnulli, postquam in „huiusmodo tumoribus fluctuans humor certo per„captus fuerat, materiem alvo aut expuitione aut „naribus excreverunt atque omnes fere hi servati „sunt.“ Morbi quoque qui antecedenti iuncti non erant, critici nominandi sunt, si eum fugant ut v. c. febres intermittentes vernales quas Petrus Frank aegritudines sanasse diuturnas, et incaute remotis in hominibus praesertim ad phthisin pulmonalem proclivibus, magnum enactum esse periculum, saepe vidit. Aretaeus 2) de diabete: „huiusce, inquit,“ „languoris causa aliquis acutus morbus esse potest, „qui hanc in partem impetum fecit et in crisi aliqua „malignum virus latenter morbi reliquerunt.“ Mon-

---

1) Commentar. societ. med. et philosoph. Edinb. T. 1. p. 4. Sect. 1. n. m.

2) Aretaeus de causis diuturnorum aff. L. II. c. II.

ro 1) maniam febre intermittente, quae supervenerit, sanatam esse, narrat. Meadius quoque et Witberingius huius rei afferunt argumenta. Catalepsiae, e scorbuto exorto, sanatae Salandierus 2) mentionem facit: Erysipelas quoque habituale in infantibus aliquid critici mihi habere videtur neque morbus esse, ut alii dicunt.

Non solum crises ipsae sed symptomata quoque nonnulla morborum vitium inducunt vicarium. Burserius 3) „inprimis, inquit in febre lenta nervosa „evacuationes cuiuscunque generis facile excessu peccant, quas tamen comprimere res plena discriminis „est, quia pessima inde sequuntur morbifici humoris „ad interiora metastases.“ „Hipporates 4) in febre, „inquit, surditas alvum sistit. — Surditatem ex febribus natam solvit profluvium sanguinis e naribus „alvique commotio;“ iis ergo suppressis damnum enascitur.

§. 20.

Nonnunquam symptomatum unius eiusdemque morbi permutatio animadvertitur, quod quamquam actione vicaria non fit, tamen perturbationem organismo inesse probat. Ipsi morborum paroxysmi crises habendae sunt, praecipue in febribus intermitten-

---

1) Battie Abhandlung v. Wahnsinn.

2) Salzburger medic. Zeitung. 2 Bd. 1817.

3) Burserius l. c. L. 1. c. 210.

4) Coaca L. II. 199. 211.

tibus et nervorum morbis. Post paroxysmum ferocem plerumque valetudo diutius servatur incolumis, sin autem opprimitur morbus augetur, mors acceleratur. Catalepsia et epilepsia paroxysmum tempore certo redire oportere probant. Reilius 1) paroxysmos hystericos et epilepticos ne ullo quidem pulsos remedio, sanasse ostendit. Aegri igitur paroxysmos venire optant, quia iis tempore aliquo valent.

§. 21.

Quibus sub conditionibus actio vicaria fiat, his ostendi, attamen nonnulla mihi addenda videntur. Actio vicaria alius morbi loco adest, et valetudinem relativam servat; si ergo supprimitur, novus commovetur morbus, ut iam supra dixi, et quod notatu dignum, ea ad quaedam organa inprimis vergit. Morbus novus non raro pulso similis est, quare calculi renum et vesicae arthritidem sequuntur. Morbus loco laeso saepe non apparet sed actio vicaria brevi fit. Bubones idiopathici, syphilitica symptomata si antea non aderant, apparentes, hoc probant.

Notiones aliquas pathologicas his exposui, iam meum est ostendere valetudo relativa quando adsit et quibus servetur.

§ 22.

Valetudinem censebis adesse relativam:

a. Si malum aliquod corpori inhaereat organismum autem non penitus corripuerit v. c. diabetes,

1) Iournal d. Erf. Theor. u. Wid. 2 Bd. 6 St.

diarrhoea chronica diaphoresi suppressa excitata et alia.

b. Si evolutionis sic dictae loco aliae exortae sint affectiones, donec ipsa fiat; iis autem perstantibus valetudo laeditur et medici est eas amovere.

c. Si mala localia, aut totius corporis periodica normalium adsint periodicarum actionum loco; corpus enim si iis careret, aegrotaret.

Animi autem aut nervorum morbis valetudinem relativam servari, si quis credat, risum moturus fuerit; animi enim motibus effecti, totius solum corporis perturbatione tamdiu manent.

De morbis, quae dixi naturales corporis conditiones secutis, etiam in anomalas conveniunt, et medici est haec non negligere, quod magnum inde enascitur damnum. Stimulis insuetis supra (§. 15.) dictis suppressis morbi excitantur vicarii; quibus corpus carere nequit, quos igitur ne prius pellas quam ut ipsi plane fugati sint, sed de his paullo infra. Nostrum attamen est, decernere, hos stimulos necessarios esse, et valetudinem relativam servare. Sane hoc negari non potest, nam excepto cutis morbo aut tumore cystico, organismus valet; Ita quoque in actionibus fortuitis periodicis res sese habent. Alia autem virium morborum specialium, de quibus nunc dicturus sum, est ratio, quae morbi veri sunt, totumque commovent organismum. Ne ullus quidem medicus iis valetudinem relativam servari crediderit; sed eas quam primum amoturus erit. Corpori morbus absolutus inest, eiusque suppressionem aliud si

sequitur malum, eo non probatur, organismum relative valere, sed iis carere non posse.

Criseos quoque vim suppressam nemo est qui ad valetudinem relativam pertinere credat.

§. 23.

Medici qui organismo malum, morbo eius suppresso orturo, levius inesse intellexit, est, id paullatim auferre, ne noceat, aut aliud etiam levius commovere malum, aut ipsum quod adest sustinere, et cavere, ne novum oriatur damnum; In servanda igitur valetudine relativa iubendum est.

a. ut morbum cui corpus adsueverit subito pellere absistas; quod et morbi aetate, modo causis, aegrique valetudine facile intelligas; quod si non, attamen caute agas. „Gaubius 1) hanc, inquit, laesionem si ocius serius non intulerint vitia corporis, „quae praeter consuetum naturae ordinem sunt, turpitudines potius aut deformitates quam morbi dicantur, tametsi a cura medicorum haud prorsus semoventur. Monendum vero prius, non omnia, quae „hic occurrunt vitia a natura modo recedere videantur, „functionibus ita obesse ut morbis vere accenseri „mereantur. Admirabilis ista structurae corporis „humani varietas, cum aptitudine tamen singularum „partium ad munia sanitatis naturae legibus convenienter obeunda, coniuncta, Divinum opificium declarans, quemadmodum in universa compagine

---

1) Gaubius. l. c. §. 214.

„obtinet, ita vel solis etiam ex faciebus sic satis „intelligitur."

b. Quae de localibus morbis dixi, etiam in symptomatum convenit curationem, in ea quoque caute agas, ne malum lethale eius suppressionem sequatur. „Multa 1) etiam strictiore sensu ad classem sympto„matum pertinent, quam ad horum similitudinem ab „aliis morbis pendeant." In dysenteria aut diarrhoea simplici diuturna intestini secretione suppressa, maximum toto organismo affertur incommodum.

Eadem cautione, iniectionibus adstringentibus reiectis, uteri haemorrhagiam sanes, ne morbi uteri oriantur lethales. Bubones et tumores testium venerei, gonorrhoea iniectionibus adstringentibus fugata, saepe excitantur. Experientiam ubique sequaris et prudentiam adhibeas, quae tamen ex libris hauriri nequit.

c. Morbum supprimere si velis, utrum a parentibus proditus, aut aetate, sive sexu, sive corporis conditione, sive evolutione sic dicta genitus sit respicias et modo eum supprimere potueris modo intactum siveris. Celsus 2) de epistaxi infantum propria. „Quibus, inquit, in pueritiis sanguis e nari„bus fluit, dein fluere desiit, hi vel capitis doloribus „conflictentur necesse est, vel in articulis aliquas „exulcerationes graves habeant, vel aliquo etiam

---

1) Gaubius l. c. §. 38.

1) Celsus. l. c. 2. c. 7.

„morbo debilitentur.“ Herpes pubertate ortus tutius pelli potest, quam si cessantibus menstruis incepit. Pedem ulceris maligni causa iuveni tutius amputabis quam seni, fonticulo quoque facilius carebis.

d. Antequam malum, quod valetudinem laedit corpori iam diu inhaerens, exstinguis, aliud excites malum vicarium levius eo, quod si nequeas, quam primum morbum amoveris, facias.

Iam veteres medici vim corpori inhaerentem, qua sanitas in integrum restituitur satis cognoverunt; Gaubius 1) quoque saepe eius fecit mentionem. Neque mirandum est, quod omnes omnium saeculorum medici scrutati sint, hodiernis quoque temporibus repetitum esse. Tempora antiquissima iam experimentis abundant et in diem ars nostra augetur. Vale.

---

1) Gaubius. l. c. §. 17. de viribus naturae medicatricibus.

# CURRICULUM VITAE

## EX DECRETO

## GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

## BEROLINENSIS

## ADIECTUM.

Ego Ioannes Eduardus Cohen, mense Novembris A. millesimi septingentesimi nonagesimi sexti Londini natus, prima aetate cum patre Berolinum petii, ubi cura parentum in gymnasio Berolinensi et Fridericiano litteris quae ad humanitatem pertinent, eruditus sum; indeque anno millesimo octingentesimo decimo tertio institutum Guilelmo - Fridericianum adii, ubi per quadriennium utriusque medicinae studiis me dedi.

Ethicen, logicen, psychologiam et mathesin Beat. Kiesewetter, sit illi terra levis, me docuit. De botanice Ill. Rudolphi et Cel. Hayne, de zoologia Cel. Lichtenstein, da physice, chemia, et pharmacia Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte disserentes frequentavi. In omnibus quae ad anatomiam pertinent disciplinis Ill. Knape et Rudolphi duces mihi fuerunt. Physio-

logiam me docuerunt Ill. Rudolphi et Clar. de Koenen. In pathologia et semiotice a Cel. Fr. Hufeland et Ill. Horn edoctus sum. De materia medica Cel. Osann et Clar. de Koenen disserentes audivi. Artem concinnandi formulas medicas Ill. Knape me docuit. In therapia generali quam speciali morborum acutorum et chronicorum Ill. Hufelaud. praeceptore gavisus sum, unaque et Ill. Horn lectiones de eadem disciplina frequentavi. Chirurgia tam generali quam speciali et reliquis quae ad hanc pertinent disciplinis Ill. Graefe, Cel. Rust, Clar. Mursinna et Clar. Kluge me instituerunt. Ophthalmiatricen autem Ill. Graefe mihi tradidit. Clar. Kluge ad obstetriciae artis studium me adduxit. In clinicis medicis et chirurgicis virorum Ill. Graefe, Hufeland et Horn ad praxin medicam et chirurgicam transii, neque minus Ill. Knape lectionibus de anthropologia forensi qua potui assiduitate interfui. Denique per biennium in nosocomio caritatis Berolinensi et in nosocomio exercitus Borussici, qui tunc temporis Galliam tenebat, munere chirurgi functus sum. Illinc Lutetiam Parisiorum petii ut medicorum et chirurgorum celebrium curandi modos cognoscerem. Post reditum in praetoria cohorte regis nostri augustissimi chirurgus militaris stipendia feci, iamque tentamine et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite absolutis, doctoris medicinae et chirurgiae gradum post dissertationem hancce defensam hodierno die me assecuturum spero.

[illegible] De materia medica Cel. [illegible]

[illegible] disciplina frequentavi. Chirurgiae [illegible]

[illegible]

[illegible] ad obstetriciae artis [illegible]

[illegible]

# THESES DEFENDENDAE.

I.

Non inspirando sed expirando homo moritur.

II.

Detractionem sanguinis localem venaesectio ut antecedat non semper opus est.

III.

Catarrhus pulmonum inveteratus et phthisis incipiens unum idemque sunt malum.

IV.

Febris gastrica non genus sed febrium tantummodo species est.